



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 4. Bruxellis instituta perpetua pro animabus oratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

§ 4.

*Bruxellis instituta perpetua
pro animabus oratio*

ANNO Domini 1654. Pastor Parochiæ S. Nicolai indixit, & impresso programmate publicavit ejusmodi precationem perpetuam: & ad eandem omne genus hominum invitavit. Archiepiscopus Mechliniensis non tantum eam pietatem approbavit, sed insuper Indulgentiam 40. dierum impertivit, tam eo die, quo quis inscribitur, quam eo, quo orat, eligendo tempore ad cujusque arbitrium, & singulis diebus Lunæ in æde S. Nicolai ad aram expiaticam, sive privilegiatam adest scriba, qui nomen ac tempus annotat eorum, qui sunt oraturi, datque gratis impressam scedulam, in qua per compendium res supradicta continetur, in qua etiam relictum est spatium, ubi quisque tempus potest adscribere, quo cupit orare, ac penes se servat. Serenissimus Leopoldus cum duodecim suis Ephœbis inferibi se jussit, ac totum nostrum Gymnasium cum aliis pluribus millibus.

ARTICULUS IX.

*De sodalitatibus in subsidium
defunctorum erectis.*

1057.
Sodalitates in gratiam defunctorum.

EARUM usum comperio ab anno partæ salutis nongentesimo octogesimo quarto. Sic enim Baronius ad illum annum. Hoc eodem anno, inquit, Romæ contractum est Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos & Episcopi nonnulli sunt adscripti, ad hoc ut post obitum singuli consodalium sacrificiis invocarentur, cuius instituti adhuc extat in Diaconia SS. Martyrum Cosmæ & Damiani eiusmodi monumentum in tabula marmorea incisum.

Constat nimirum, Dilectissimi fratres, de promissione, quam corde fecimus coram Deo, & Sanctis eius, ut unusquisque nostrum fratres Sacerdotes, & Episcopi, & posterum nostri Sacerdotes in perpetuum, qualiscumque ex hac luce migraverit, XL. Missas pro eius anima per unumquemque Sacerdotum, qui superstites sunt, canere promissimus. Si tamen infirmitate fuerit occupatus, non reputetur ei in peccatum, & si receptus fuerit in pristinam sanitatem, hoc omne, quod supra dictum est, adimpleat. Qui vero custos, & observator fuerit, ha-

beat benedictionem Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & celeste regnum possideat cum omnibus Sanctis, & qui hoc non observaverit, sit anathematis vinculo innodatus, & à regno Dei separatus.

Ista verò promissio facta fuit ante sacrosanctum Dominicum altare huius aulae, tempore Dom. Joannis XIII. Papæ mense Februarii die 22. Anno Dominica Incarnationis D. CCCCLXXXIII. Bened. Sacr. exarat. orat. pro me peccat. hæc ibi; sed mendosè non nihil: ita Baronius.

Sed ea Sodalitas non omnium promiscuè; at Sacerdotum dumtaxat, atque Præsulum fuit. Postmodum erecta est in urbe longè alia celebrior, anno scilicet millesimo quingentesimo octogesimo secundo, in parochiali Ecclesia S. Blasii via Julia. Est autem Laicorum Sodalium; ac sodalitium suffragii dicitur, quoniam unicus illius finis est, suffragiis ac piis operibus piis manibus impendendis incumbere. De illo sic Amidenus de pietate Rom. P. 2. c. 8. *Aluntur in prædicta Ecclesia septem Sacerdotes, qui quotidie pro animabus fidelium in charitate Deo coniunctorum, & in Purgatorio pro contracta labis expiatione retentorum offerunt sacrum Missæ sacrificium. Ipsi sodales Laici singulis festis diebus recitant præfatam psalterium pro mortuis. Per integram commemorationis defunctorum octavam quotidie solemnes agunt supplicationes ab eorum Oratorio ad Basilicâ S. Gregorii, & alias præcipuas urbis Ecclesias. Sæpius in anno reiterant quadraginta horarum preces, nec quidquam omitunt, quod expiandis animabus iuxta præscriptum Ecclesiæ suffragetur.* Hæc Amidenus.

1058.
Archiconfraternitas defunctorum.

Porro hæc ad S. Blasii Romæ Sodalitas, quam Archiconfraternitatem vocant, Diplomate Clementis VIII. Pontificis Maximi confirmata est, ac prærogativis, indulgentiisque ornata. Habet quoque ex eodem Diplomate facultatem annexendi sibi alias Sodalitates, cum iisque favore sibi impertitos communicandi. Et revera Antuerpiensem pro defunctis Sodalitatem, aliasque sibi annexuit, de quibus longum esset, nec satis utile dicere; tantum hinc profero quoddam indulgentiarum illi concessarum compendium. Primò itaque nomen in ea primum dantibus (modò sacris epulis pasti fuerint) & agris eorum sodalibus in mortis articulo nomen Jesu corde saltem invocantibus, & eorundem Oratorium festâ SS. omnium luce, & per illius octavam, item festo Natalis Mariani die pro salute Summi Pontificis, ac Principum Catholicorum pace, & pro piorum manuum libera-

1059.
Hujus, & aliarum indulgentiarum.